



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Alia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

mis, qui tam saepe nostris in concertationibus
eximium dedisti ingenij reconditionisque doctri-
næ specimen, qui novum in decus, in novum Or-
dinis tui lumen assurgis, quam suscitasti jam diu
latissimam expectationem tui, fac eandem ut su-
stineas, aut, si fas, vincas etiam ac superes.

A L I A.

Quod olim difficillimis Ecclesiæ temporibus
facere solebant Religiosæ vitæ cultores, ut
e solitudinibus suis ac speluncis prodirent
palam laboranti Religioni opematuri; id ipsum
vos quanto totius Ecclesiæ commodo facitis ho-
diæque, quos nobilis quædam divinæ gloriæ æmu-
latio ex ipso quietis & tranquillitatis sinu ad ju-
vandos labores nostros adducit! Ac licet singu-
lari Dei omnipotentis beneficio non desint in
Clero Gallicano insignes pietate ac doctrinâ viri,
qui sterilem vineam Domini minimè patian-
tur; tamen tam gratum est, quàm quod gratissi-
mum, quod nobis ultrò volentesque ministe-
rium impenditis. Neque verò nos piget habere
socios nostrorum laborum tot insignes sagaciorè
ingenio, eruditionis laude, pietatis gloriâ viros,
quibus nihil est antiquius, quàm ut suum in Ec-
clesiam studium palam approbent, & strenuos se
ejusdem defensores ac vindices quocumque re-
rum suarum discrimine exhibeant. Quòd si,
Scripturâ teste, frater qui adjuvatur à fratre, quasi
civitas firma reputatur, quàm formidandam er-
rorum monstris societatem illam esse oportet,
quæ conjunctissimos tot fratres ostentat eodem
divinæ gloriæ studio succensos? Adeste nobis

X

igitur

igitur totis animis. Ecce tot regiones albæ jam ad messem, quæ vestram opem desiderant. Venite lætis agminibus omnes tibi persimiles, omnes ab iisdem instructi pietatis ac doctrinæ præsidijs, quæ suspicimus in te, quæ tibi impensè gratulamur.

A L I A.

Est hæc multorum querela, qui in eo verfantur studio, quod tu tam feliciter decurras, tam esse concertationum multitudinem et varietatem, quibus interesse Theologicæ Laureæ Candidatum, & ingenij pariter ac doctrinæ æquum dare specimen necesse est; ut vix sibi sufficit ab eâ negotiorum mole fati otij, quod proprijs studijs impendant. Quod si tam speciosa exoptulationi videtur esse locus aliquis, uti vera est, quid par est sentire de vobis, quos Religiosæ disciplinæ ineluctabilis quædam distractio à continuis studiorum laboribus multò magis vertit, & mentem divisam inter multa & intentum pluribus, vel invitam ac reluctansem dissipat. Nam quid ego memorem diurnas nocturnasque preces, quid referam psallendi in choro assiduitatem, quid varias domestici instituti occupationes, quid indefessam opitulandi Proximo sollicitudinem, quid impositum multis disseminandi Verbi divini munus recenseam?

Tamen quis non miretur tam diversa inæxultos Litteris omnibus, tam comparatos versus contentiosæ scholæ difficultates, tam scilicet peritos in interpretandis

etorum